Socolovii Stanislai Peregrinus sive laesae virtutis quaerela.
Varsaviae ex typogr. Mizlerianae 1759.

2.

STANISLAI SOCOLOVII
PEREGRINUS
SIVE
LAESAE VIRTVTIS QUAERELA,

NUNC PRIMUM EX MANUSCRIPTO
PUBLICÆ LUCI EXPOSITA
ADIECTA AUTORIS VITA EIUSQUE OPERUM NOTITIA
CURA ET SUMPTU
CHRISTIANI THEOPHILI FRIESII.

VARSAVIÆ
Ex Typographia Mizleriana
1759.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

P. LEONI RAUCH

SOCIETATIS JESU

Socio dignissimo

SERENISSIMI POLONIARUM REGIS

ATQUE

ELECTORIS SAXONIÆ.

a

Confessionibus,

LITERARVM PROMOTORI,

PATRONO ATQUE FAUTORI SUO

summum colendo,

Primam huius libelli editionem

offert ac dedicat,

CHRISTIANUS THEOPHILUS FRIESIUS.

NOli mirari VIR Reverendissime, *quod audeam, primam libelli huius editionem TIBI offerre, nominique TUO adscribere. Verum quidem est, quod ille, si voluminis aspicis magnitudinem, tali viro dignus iudicari haud possit, si vero materiæ consideras dignitatem, certo sum persuasus, TE ausum hocce meum in malam partem non esse interpretaturum.*

Socolovius enim, apud Stephanum, *Magnum Poloniæ Regem, Concionatoris & Confessarii munere ad*

eius usque mortem summa fidelitate perfunctus, Regis sui innocentiam & post mortem contra quosvis osores, iniquos & oblatratores impudicos libello hoc defendere & vindicare studuit.

TU in eodem dignitatis gradu apud AUGUSTUM III, Poloniarum Regem Augustissimum, positus, in libello isto veram Regis Tui optimi depictam invenies imaginem. Eum enim omnibus virtutibus, quæ in bonum Regem cadere possunt, pietate, inquam, religione, iustitia, prudentia, animi magnitudine & clementia abunde exornatum videmus.

Auctoris vitam scriptorumque eius recensionem adiicere necesse duxi, quia vir iste, de religione & Patria optime meritus, adhuc non satis, præcipue exteris, est notus, scripta vero eius a nemine hucusque debito ordine recensita, & civibus suis ignota latuerunt.

Laudes TUAS enarrare, quas omnino nunc deberem, modestia TUA non permittit, omnes tamen TE Virum, in religione pium atque sincerum, erga Regem fidelem, in moribus probum, in officio laboriosum, quinimo indefessum, cognoscunt.

Quod superest, D. T. O. enixe precor, ut TE, Pater Reverendissime, *multos adhuc annos salvum* & *incolumem conservet, simulque Te rogo, ut, sicut incepisti, mihi favere pergas. Vale, Scribebam Varsaviæ Cal: Octobris A. R. S. MDCCLIX.*

STANISLAUS SOCOLOVIUS, gente antiqua, Liliam in armis gerente, patrio ſermone, GOZDAWA dicta, oriundus, in domo IACOBI BIELENSCII, (*a*) Epiſcopi Lacedæmonienſis, ſuffraganei Plocenſis, litterarum fundamentis bene imbutus, Almam petiit Cracoviam. Ibi, IACOBO GORSCIO doctore, altiora adgreſſus eſt ſtudia. Primam lauream anno 1561. ſub eodem illo præceptore ſuo Decano, Artiſticæ facultatis obtinuit. Secundo deinde poſt anno, Magiſtri titulum eſt aſſecutus. (*b*)

BIELENSCII ope adiutus Italiam poſtea petiit, ubi *Sigonium* & *Vitellium*, magna tunc temporis lu-

A mina,

(*a*) Autor ipſe agnoſcit eum et fautorem et educatorem ſuum, atque fatetur, quicquid in ſtudiis theologicis profecerit, quicquid ornamentorum conſecutus ſit, id omne illius hortatu, cura, ac ſtudio, ſingularique liberalitate conſecutum eſſe. Videatur *Praefatio Concionis, Pro cultu & adoratione Jeſu Christi in Euchariſtiae Sacramento.*

(*b*) STAROVOLSCIUS in Elogiis et Vitis centum Poloniæ ſcriptorum pag: 148.

mina, maximo cum fructu audivit. Cum popularibus suis, qui ibi studiis quoque incumbebant, præcipue vero cum HIERONYMO ROZDRAZOVIO, qui postea Episcopus Vladislaviensis evasit, coniunctissime vixit, adeo, ut eum studiorum suorum a prima ætate fautorem & inspectorem appellet. (*a*)

Jn Patriam redux, Cracoviæ supremæ scientiæ Theologiæ professionem multis annis magno applausu tenuit. (*b*) Et pietatis atque eruditionis fama, Sancti Floriani Præposituram obtinuit, paulo vero post Canonicorum Cracoviensium numero quoque fuit adscriptus.

Virum præstanti ingenio præditum variarumque linguarum, præcipue Græcæ atque Hebraicæ egregie peritum, vitæ probitas morumque integritas adeo commendabant, ut Magnus ille Rex Stephanus Batori, uno quasi obtutu eum perlustrans concionatorem suum aulicum nominaret, quem & opimis beneficiis & honoribus auctum perpetuo carum atque familiarem sibi habuit. (*c*)

SOCOLOVIVS, quoque pro officii sui sibi iniuncti dignitate & gravitate, talem se in omnibus præstitit,

(*a*) SOCOLOVIUS in Præfatione *iusti Josephi.*

(*b*) STAROVOLSCIUS in libello de claris Oratoribus Sarmatiae pag: 32.

(*c*) STAROVOLSCIUS in Elogiis et vitis centum Poloniæ scriptorum. pag: 148.

ſtitit, qualem mater Academia, fautores atque Patroni & univerſus denique ſacer ordo, in oculis ſui Principis videre deſideraverat, induſtrium ſcilicet, gravem, ſobrium, eruditum, conſtantem atque pium. (*a*)

Apud Regem ſuum usque ad eius mortem, ſumma ſemper floruit gratia, eumque poſt mortem contra quoſvis nominis ſui obtrectatores impudicos maſcule defendit. (*b*)

Ab iſto quoque ius Patronatus in Templum ſancti Floriani pro Academia Cracovienſi expetiit, & autoritare ſua, qua & poſt Regis mortem valebat, a Regni Statibus eius confirmationem lege publica anno 1590. effecit. (*c*)

Tandem vir ille optimus ſimulque de Eccleſia & Patria meritiſſimus, anno 1593. VII. Iduum Aprilis pia morte obiit, & magnum apud omnes bonos ſui reliquit deſiderium.

FABIANVS BIRCOVIVS, qui, relicta, ob recuſatam ſibi Canonicatus dignitatem, Alma Academia Cracovienſi, ubi magno cum applauſu docuerat, inſtituta ſancti Dominici profeſſus fuerat, orationem funebrem amico atque collegæ ſuo olim iunctiſſimo habuit. (*d*)

 Quanti

(*a*) STAROVOLSCIUS l. c.
(*b*) SOCOLOVIUS in læſæ virtutis quærela ſeu Peregrino.
(*c*) MARANGONIUS in Theatro Paroch: Tom: II. fol: 376.
(*d*) NIESIECIUS in Corona Polona Tom: IV.

Quanti eum ſummus ille Pontifex GREGORIVS XIII. fecit, patet ex Epiſtola, quam ille ad Socolovium noſtrum ſcripſit. (*a*)

Inter reliquos Patronos, fautores & amicos, qui eum non tantum ſingulari proſecuti ſunt amore, ſed & variis beneficiis præmiisque affecerunt omni iure ſunt referendi. IEREMIAS, Patriarcha Conſtantinopolitanus, STANISLAVS KARNCOVIVS, Archiepiſcopus Gneſnenſis, STANISLAVS HOSIVS S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Varmienſis. (*b*) PETRVS MISCOVIVS, Epiſcopus Cracovienſis, HIERONYMVS ROZDRAZOVIVS, Epiſcopus Vladiſlavienſis & Pomeraniæ, PETRVS KOSTKA, Epiſcopus Culmenſis, ANDREAS CALIGARIVS, Epiſcopus Brittonorienſis, Nuntius Apoſtolicus ad Regem STEPHANVM, IACOBVS BIELENSCIVS, Epiſcopus Lacedaemonienſis & ſuffraganeus Plocenſis, IOANNES ZAMOSCIVS, Cancellarius & ſupremus Exercituum Dux, MARTINVS LESNOVOLSCIVS, Caſtellanus Podlachiæ, STANISLAVS GREPSIVS, IACOBVS GORSCIVS, IOANNES KOCHANOVIVS, qui quoque eius laudem Muſa, tali viro digna cecinit, SIMON SIMONIDES,

(*a*) Epiſtola iſta ſcripta eſt 12. Maii Anno 1584. et extat in Operibus SOCOLOVII poſt præfationem.

(*b*) Vide Epiſtolam Anno 1579. 22. Maii ſcriptam. Extat in Operibus SOCOLOVII poſt præfationem.

DES, qui carmen in eius obitum ſcripſit, ANDREAS SCHONAEVS (*a*) & centum alii.

Inter diſcipulos, quos magnos & doctos reliquit, ſunt numerandi, SIMON RVDNICIVS, Varmienſis Antiſtes. (*b*) MARTINVS LESNOVOLSCIVS, qui poſtea Caſtellanus Podlachiæ fuit (*c*) & MATTHIAS KLODZINIVS, Samogitiæ Archidiaconus, Vilnenſis Præpoſitus S. Apoſtolicæ ſedis notarius, & Regis Stephani Secretarius. (*d*)

Sua quæ reliquit ſcripta, recenſet quidem Starovolſcius in libro de Elogiis & vitis ſcriptorum Poloniæ pag: 149. ſed confuſe & ſine ordine. Nieſiecius, autor omni laude dignus, maiore exponit ea diligentia, ſed quoque non omnia propriis perluſtravit oculis, & errat, quando dicit, ea Cracoviæ duobus in Tomis eſſe impreſſa. Opera enim in uno Tomo congeſta prodierunt Cracouiæ Anno 1591. in folio, & Volumen, quod Nieſiecius alterum Tomum nominat eſt opus ſingulare, poſt eius mortem demum 1598. Cracoviæ promulgatum.

(*a*) ANDREAS SCHONÆUS ſcripſit Odas III. funebres de laudibus Stanislai Socolovii, quæ Cracoviæ ſunt impreſſæ Anno 1593. in 4to. Extant quoque in notis SOCOLOVII in Evangelia Matthaei, Marci et Lucæ.

(*b*) Vid IANOZKI Nachrichten von raren Büchern in der Zaluſkiſchen Bibliothek part. III. p. 61.

(*c*) Vid: Dedicatio Socolovii, quæſtori ſuo præfixa.

(*d*) STAROVOLSCIUS in Elogiis pag: 149.

Celeberrima illa Bibliotheca Zalusciana, in qua omnia, quæ ad rem & historiam Polonam faciunt, quam diligentissime congesta inveniuntur, conservat non tantum omnia eius scripta, sed & varias eorum editiones, & quia Illustrissimus Possessor, Reverendissimus atque Excellentissimus Nominatus Kioviensis Episcopus eorum usum benignissime nobis concessit, Illustris vero & Reverendus Canonicus ANDREAS IANOZKIVS Bibliothecæ huius Præfectus dignissimus, vir de re litteraria Polona optime meritus, pro magna sua in singulos, qui studia litteraria Polona amant atque colunt, humanitate, & ex antiqua, quæ inter nos intercedit, consuetudine, omnia eius scripta nobiscum communicauit, nos possumus quoque ea nunc meliori ordine exponere & recensere.

Sunt vero:

STANISLAI SOCOLOVII, Canonici Cracoviensis apud Stephanum I. Poloniæ Regem Concionatoris Opera. Cracoviæ in Architypographia Regia & Ecclesiastica Lazari edita 1591. *in folio cum Præfatione ad Sigismundum III. Poloniæ Regem.*

Inveniuntur ibi.

I. Censura Orientalis Ecclesiæ, de præcipuis nostri seculi hæreticorum dogmatibus, ex græco in latinum conversa, & annotationibus, ad proprias Græcorum opiniones respondentibus illustrata, cum Dedi-

catione

catione ad summum Pontificem GREGORIVM XIII. a pag: I. - 141.

Variæ istius libri Editiones.

(*a*) Censura Orientalis Ecclesiæ. De præcipuis nostri seculi hæreticorum dogmatibus: Hieremiæ Constantinopolitano Patriarchæ, iudicii, et mutuæ communionis causa, ab orthodoxæ doctrinæ adversariis, non ita pridem oblatis. Ab eodem Patriarcha Constantinopolitano, ad Germanos græce conscripta: A STANISLAO autem SOCOLOVIO, Serenissimi Stephani, Poloniæ Regis Theologo, ex Græco in Latinum conversa, ac quibusdam annotationibus, ad proprias Græcorum opiniones respondentibus, illustrata. Ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum. Cracoviæ in Officina Typographica Lazari 1582. in folio.

Haec est prima editio simulque nitidissima & rarissima. Invenitur ibi quoque index & series praecipuorum capitum, ut & Epistola Theolipti Archimandritae, cum qua Constantinopoli opus istud ad Autorem erat perlatum, in lingua graeca scripta, * *quae in operibus libro huic non est adiecta, sequitur tamen postea, ut infra videbimus, in fine adiecta adhuc sunt capita rerum earum, quae in annotationibus continentur.*

(*b*) Editio Coloniensis de anno 1582. in 8vo. apud Maternum Cholinum, cum gratia et privilegio Cæsar. Maiestatis in qua omnia sicuti in præcedenti inveniuntur. In nonnullis exemplaribus legitur quidem annus 1583, est tamen eadem editio.

(*c*) Editio,

* Cum SOCOLOVIUS cum Rege STEPHANO anno 1580. Leopoli esset, incidit ibi forte in istum Archimandritam Græcum, hominem haud indoctum, qui ei dixit: Germanos non ita multo ante ad Patriarcham suum scripsisse, & ei summa fidei & confessionis suæ capita obtulisse, ac studiose petiisse, ut in communionem eius Ecclesiarum reciperentur, quos vero tantum abest, ut recipiendos duxerit, ut etiam scripto hoc illa ipsa, quæ tum illi proposuerunt capita, refutarit. Videat. Præfatio ad GREGORIUM. XIII.

(c) Editio, Dillingæ anno 1582. impressa in 8vo.

(d) Editio Parisiensis, sub hoc titulo:

Censura Orientalis Ecclesiae &c. accessit Actoris (debet esse Autoris) Concio de Eucharistiae Sacramento, coram Poloniae Rege habita. Omnia post editionem primam diligenter recognita, & a mendis purgata: etiam notis marginum illustrata, per H. M. Francis; FEUARDENTIUM, Franciscanum, in Academia Parisiensi Professorem Theologum. Parisiis apud Arnoldum Sittart, sub scuto Coloniensi mente divi Hilarii 1584. cum Privilegio Regis. Editio per rara & nitida.

Versio Germanica sub hoc titulo prostat:

(e) Censur oder Urtheil der Orientalischen Kirchen u. ihres Patriarchen zu Constantinopel, über die Augsburgische Confession, so ihm von etlichen Confessionirten, umb sein Gutachten und Bestätigung zugeschickt worden. Erstlich durch Herrn Stanislaum Socolovium, Königl. Maiestat in Pohlen Theologen, aus Griechischer sprach ins Latein gebracht, auch mit annotaten Beyverzeichnissen gemehrt und erklärt. Anjetzo aber durch Herrn Iohann Baptista Ficklern, der Rechten Doktern Fürstl. Salzburgischen Rath etc. Sampt gemelten Annotaten und Beyverzeichnissen aus dem Latein ins Teutsch getreuliches Fleis verti ret Allen Liebhabern der Wahrheit und rechten Glaubens in Christum vast nützlich und nothwendig zu lesen. Mit Röm: Key. May. Freyheit getruckt zu Ingolstadt bey David Sartorio anno 1583. in 8.

II. Ultima responsio Tubingensium ad tertium Patriarchæ scriptum ex Patriarchio allata ipsorumque Tubingensium manu subscripta. a pag: 141 - 146.

Editiones.

Prima extat sub titulo sequenti.

(a) Ultima responsio Protestantium ad Censuram et iudicium Patriarchæ Constantinopolitani, de Articulis Augustanæ confessionis Stanislao Socolovio, serenissimi Stephani Regis Theologo, interprete, cum eiusdem in margine annotationibus, Constatinopoli ex Patriarchio allata,

allata, ipſorumque Proteſtantium manu ſubſcripta. Ad Petrum Miſcovium, Epiſcopum Cracovienſem. Cracoviæ in Officina Typographica Lazari Anno D. 1583. in 4. *Opuſculum rarum.*

Editio Trevirenſis prodiit hoc titulo.

(*a*) *Sententia* definitiva *Ieremiae* Patriarchæ Conſtantinopolitani, De Doctrina & Religione Wirtenbergenſium Theologorum. Una cum antidoto ultimæ reſponſionis eorundem ad cenſuram Patriarchæ de Articulis Confeſſionis Auguſtanæ, Conſtantinopoli ex Patriarchio allatæ, ipſorumque Proteſtantium manu ſubſcriptæ ac inlucem a doctiſſimo viro STANISLAO SOCOLOVIO editæ, cum eiusdem in margine annotationibus. Opera Thomæ Sunobbigii ad Dei gloriam et Eccleſiæ Catholicæ utilitatem edita. Auguſtæ Trevirorum, apud viduam Emundi Hatoti 1586. Cum gratia et Privilegio Archiepiſcopali. *Editio nitida & per rara.*

III. STANISLAI SOCOLOVII ad Wirtenbergenſium Theologorum invectivam, quam ſuis cum Ieremia Patriarcha Conſtantinopolitano de Auguſtana Confeſſione actis & ſcriptis, per eos græce & latine editis, præfixerunt: brevis reſponſio, a pag: 147-190. cum dedicatione ad Iacobum Gorſcium.

Variae Editiones.

(*a*) Prima editio prodiit Cracoviæ 1584. in 4*to* teſte NIESIECIO, et eſt ratiſſima: Altera impreſſa eſt Ingolſtadii in officina Typographica Wolfgangi Ederi Anno 1585. in 4. Herburtus a Fulſtin dedicavit eam Guilielmo, Bavariæ Duci et adiecit Socolovii Dedicationem ad IACOBUM GORSCIUM.

(*b*) Editio Auguſtæ Trevirorum 1586. in 8vo impreſſa apud viduam Emundi Hatoti eſt nitida et rariſſima

Epiſtola vero Ieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani ultima, quæ incipit *Quandoquidem*, non eſt adiecta, invenitur tamen in

libello præfixo supra iam allegato, sub titulo. *Sententia definitiva.*

IV. Epistola *Theolepti* Archimandritæ, cum qua Constantinopoli *Ieremiæ opus* ad SOCOLOVIVM fuit perlatum.

Ista Epistola separatim non est impressa, extat tamen, sicut annotavimus, inprima editione Censuræ orientalis, et in reliquis, quæ Coloniæ, Dillingæ, Parisiis sunt impressæ. Germanicæ vero Versioni deest, quia non est longa, volumus eam cum Socolovii versione latina, raritatis causa, hic adponere:

Τῷ λογιωτάτῳ καὶ αἰδεσιμωτάτῳ κυρίῳ σι σικλεῖ τῷ τῆς ἐκκλησίας διδάσκαλῳ καὶ ἐμοί φιλτάτῳ εὐλαβῶς χειριθέναι

ἀπὸ Κωνσαντινουπόλεως εὖ πράττειν

Ὀυκ ἐσιώπησα, ἀλλ᾽ ἔγραψα σοὶ πρότερον, καὶ ἔπεμψα ἐκεῖνο τὸ βιβλίον τὸ κατὰ τῶν Λουτέρων, μετά τοῦ Ἀρμενίου ἱερέως τοῦ Ἡλιοπολίτου. περί δὲ ἐμοῦ γίνοσκε, ὅτι οἰκῶ ἐν Κωνσαντινούπολει εἰς τὸ πατριαρχεῖον, ἐν ᾧ ἤμην καὶ ἄλλοτε. ἢν δὲ θέλης μαθεῖν, ἕνεκα τῆς ἀφήξεως μου τῆς πρὸς ὑμᾶς, τῷ νῦν οὐ δύναμαι ἐλθεῖν, διὰ τοὺς πολέμους καὶ τὰς ἀκατασασίας. ἐαν δὲ εἰρηνεύσωσιν ἀμφότεροι, θεοῦ εὐδοκοῦντος ἐλεύσομαι. Ἔρρωσο φίλτατε ἀνδρῶν. Τὸν σεβασμιώτατον καὶ εὐγενέσατον κατὰ Ἱερώνυμον τὸν πρεσβύτερον, ὡς ἐξ ἐμοῦ πρόσειπε. ὁμοίως καὶ τὸν κατὰ πάντα φίλτατον καὶ ἐνδόξοτατον κύρηον Γεώργϊον τὸν ἡμέτερον ἀδελφὸν.

Ἀντιβολῶ σοῖ κύριε, πέμψον μόι τὰ βιβλία, ἅ εἰς ἐνθύμησιν ἔγραψα σοι καὶ δόσω τὰ χρήματα τῷ κομίζοντι προθύμως. ἢν δὲ ἄλλοτι ζητεῖς ἀπεντεῦθεν, γράψον μοι καὶ ἀσμένως ὑπηρετήσω.

Hoc est:

Eruditissimo & Reverendissimo Domino Stanislao,

En

Ecclesiæ Doctori mihique charissimo, reverenter in manus reddantur, Constantinopoli.

Salutem.

En non taceo sed scribo tibi prior, mittoque librum illum contra Lutheranos, per Sacerdotem Armenium Leontopolitanum. Me autem scias habitare Constantinopoli in ædibus Patriarchæ, ubi & olim degebam. Cæterum de meo ad vos adventu, si cupis, scias velim, me nunc propter bella tumultusque venire non posse. Si autem pax utrinque firmata fuerit, Deo propitio, veniam, Vale, Virorum charissime.

Reverendissimum & Generosissimum Dominum Hieronymum Presbyterum, meo nomine saluta. Itidem omnibus modis charissimum ut clarissimum Dominum Georgium fratrem Nostrum.

Peto a te Domine ut mittas mihi libros, quos notavi, pretium vero ei, qui attulerit, persolvam lubens. Quod situ quoque hinc aliud quid habere desideras, fac mihi scribas, inserviam enim libenter.

V. De veræ & falsæ Ecclesiæ discrimine: Stanislai Sololovii, libri III. Ad serenissimum Stephanum, Poloniæ Regem victorem & triumphatorem magnificum a pag: 191.-330.

Variæ Editiones.

(*a*) Prima est Cracoviensis infolio, quæ prostat titulo sequenti: *De verae & falsae Ecclesiae discrimine ad Serenissimum Stephanum I. Poloniae Regem, Stanislai Socolovii libri III. ex sacris scripturis, vetustissimorumque Patrum sententiis collecti ac concinnati. Quibus adie-*

ēta est pro dignoscendis & fugiendis dogmatibus falsis, eiusdem Concio. Cracoviae in Officina Lazari Anno Domini 1583, sumptu & impensa Regia. Editio nitida & admodum rara.

Concio pro dignoscendis & fugiendis falsis dogmatibus in operibus huic libro non est adiecta, sequitur tamen inter Orationes, ubi secundum occupat locum. Niesiecius errat, librum istum Cracoviae Anno 1584. esse impressum in folio & alteram eius editionem prodiisse eodem adhuc anno Coloniae in 4to.

(*b*) Altera excusa est typis Ingolstadii in Officina Wolffgangi Ederi 1584. in 4to, & ab ipso autore & emendatior & castigatior est priori nuper reddita cum indice.

(*c*) Tertia prodiit Coloniae 1584. in 8vo apud Maternum Cholinum.

VI. STANISLAI SOCOLOVII Orationes Ecclesiasticae VII. a pag: 331.-534.

1. Pro religione catholica ad Petrum Miscovium, Episcopum Cracoviensem. Prima editio prodiit 1584. Cracoviae in 4to a pag: 331.-374.

2. Pro cognoscendis & fugiendis falsis Prophetis & eorum doctrina a pag: 375.-391.

Prima editio apparuit sub hoc titulo: *Concio de vestitu & fructu haereseos*, STANISLAI SOCOLOVII *Concionatoris Regii, Leopolii 1578.* Versio Polonica editioni, qua utor, margini est ascripta. NIESIECIUS allegat editionem de a 1578. Nissae in Silesia impressam in 4to sed forsitan est error loci. Ista oratio adiecta est libro de verae & falsae Ecclesiae discrimine sicut annotavimus.

3. De causis ultimi excidii Hierosolymitani a pag: 392.-409.

Prima editio prodiit Cracoviae sub titulo sequenti.

Excidium Hierosolymitanum, sive de causis ultimi excidii urbis illius ad Serenissimum Stephanum, Poloniae Regem, Stanislai

Socolovii

Socolovii Concio. Cracoviæ in Officina Lazari anno 1580. in 4to. opuſculum rariſſimum.

4. Epithalamion, ſive de conſecratione Epiſcopi a pag: 409.-454

Oratio iſta dedicata eſt Ioanni Andreæ Caligario, Epiſcopo Brittonorienſi, ad Sereniſſimum Stephanum Polonorum Regem, Nuntio Apoſtolico. Prima editio præſefert titulum ſequentem.

Epithalamion Epiſcopi, cum ſua ſponſa Eccleſia, ſive de conſecratione Epiſcopi ſermo, apud Sereniſſimum Stephanum, Poloniæ Regem, in conſecratione Reverendiſſimi Domini, Ioannis Andreæ Caligarii, Brittonorienſis Epiſcopi, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Nuntii: per Stanislaum Socolovium, ſacræ Theologiæ Doctorem, in Comitiis Varſavienſibus habitus. In quo ritus, vetuſtas, myſteria & uſus conſecrationis, Epiſcopi, ex ſententiis & auctoritate ſanctorum Patrum explicantur: functio item & dignitas Epiſcopalis tota. Cracoviæ in Officina Lazari anno 1580. edita. Opuſculum per rarum. Extat adhuc alia libelli iſtius editio in Bibliotheca Zaluſciana, Romæ impreſſa.

5. Pro cultu & adoratione Jeſu Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento, cum dedicatione ad Iacobum Bielenſcium, Epiſcopum Lacedæmonienſem a pag: 455.-478.

Prima editio prodiit Cracoviæ in Officina Lazari 1582. in 4.

Altera ibidem 1584. in 12. ambæ ſunt raræ. Eſt quoque Pariſiis impreſſa & adiecta Cenſuræ Orientalis Eccleſiæ, ſicut iam ſupra diximus.

Daniel Sigonius Lelovienſis eam Polonice verſam edidit Cracoviæ 1590. in 4to.

6. Pro dote Eccleſiæ Dei & hæreditate Chriſti, cum Præfatione ad Stanislaum Carncovium, Archiepiſcopum Gneſnenſem Primum Regni Principem a pag: 478.-516.

Prima editio talem habet titulum:

Compoſitio ſive pro dote Eccleſiaſtica & haereditate Chriſti ad Ordines Poloniae Regni STANISLAI SOCOLOVII Concio. Cracoviae in Officina Lazari Anno Domini 1582. in 4. & eſt rariſſima. Extat

Extat adhuc alia Editio ſub titulo.

STANISLAI SOCOLOVII, Magni olim Stephani Regis Poloniae Theologi, oratio Eccleſiaſtica, prodote eccleſiae Dei & haereditate Chriſti Cracoviae in Officina Andreae Petricovii S. R. M. Typographi Anno D. 1632. in 4. & hæc quoque eſt rara.

7. Pro vera & catholica libertate, cum præfatione ad Ioannem Zamoſcium, Supremum Regni Poloniæ Cancellarium Exercituumque Ducem a pag: 517.-534.

Iſtæ prædictæ ſeptem Orationes in uno volumine collectæ impreſſæ ſunt Coloniæ 1587. in 8. apud Maternum Cholinum & editio iſta eſt rariſſima.

VII. Stanislai Socolovii Nuntius ſalutis ſive ſermones V. de incarnatione ad laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti eiusque glorioſiſſimæ matris honorem. Ad Sereniſſimum Sigismundum III. Regem Poloniæ pag. 335.-621.

Prima editio prodiit Cracoviæ ex Officina Lazari Anno D. 1588. in 4to. & eſt rara. Verſio Polona a IOANNE IANUSSOUIO eleganti & compto ſtylo conſcripta, im preſſa eſt Cracoviæ 1590. in 4to.

VIII. Stanislai Socolovii Iuſtus Ioſeph, ſive in Ieſu Chriſti, Domini noſtri mortem & Paſſionem, Meditationes V. in quibus non magis Iudaica perfidia, quam Ariana refutatur impietas pag: 526.-739. cum præfatione ad Hieronymum Comitem a Rozdrazow, Vladislavienſem & Pomeraniæ Epiſcopum.

Prima editio prodiit Cracoviæ in Officina Lazari 1586. in 4. & eſt rariſſima.

IX. Epicinion, ſive gaudium Paſchale.

Invenitur

Invenitur quoque in prima editione iusti Iosephi post V. Meditationem, sed non separatim est impressum.

X. Stanislai Socolovii Partitiones Ecclesiasticæ ad Petrum Costcam, Episcopum Culmensem a pag: 750. - 764.

Prima editio impressa est Cracoviæ 1589. in officina Lazari & est rara.

XI. Stanislai Socolovii quæstor, sive de parsimonia atque frugalitate ad Martinum Lesnovolscium, Castellanum Podlachiæ a pag: 765.-784.

Prima editio litteris est exscripta Cracoviæ 1589. in Officina Lazari, in 4. libellus iste inter rarissima Socolovii scripta est numerandus.

Omnia hæc scripta in operibus inveniuntur. Porro ad huc prostant.

XII. Stanislai Socolovii Canonici Cracoviensis, Serenissimi olim Stephani Regis Poloniæ Theologi in Evangelia Matthæi, Marci & Lucæ notæ. Cracoviæ in Architypographia Regia & Ecclesiastica Lazari editæ 1598. in fol. Opus splendidum & rarissimum. Illustrissimus enim Possessor, nullum aliud præter hoc exemplar, quod ab illustrissimo fratre suffraganeo Plocensi dono accepit, unquam vidit Conscriptum & finitum quidem est ab autore anno 1593. & Capitulo Cracouiensi fuit dedicatum, sed anno 1598. demum & quidem iam post autoris mortem fuit impressum. Adiecti sunt in fine tres Odæ funebres, de laudibus Stanislai Socolovii, Andreæ Schoe-

næi

næi, Publici in Academia Cracov. Philosophiæ Professoris.

XIII. Epithalamion, sive benedictiones nuptiales, ad Serenissimum Sigismundum III. Poloniæ Regem & Annam Austriacam, coniugem eius, à Stanislao Socolovio, Canonico Cracoviensi missæ. Cracoviæ in Architypographia Ecclesiastica & Regia Lazari 1592. in 4. opusculum rarissimum.

XIV. Posthumus Stanislai Socolovii apud Stephanum I. Poloniæ Regem Concionatoris, de ratione studii per M. Iacobum Ianidlovium I. V. D. & Professorem, Canonicum Sandecensem, Academiæ Cracoviensis Procancellarium, & pro tunc Generalem Rectorem luce donatus. Cracoviæ in Officina Andreæ Petricovii S. R. M. Typographi. Anno D. 1619. in 4. cum præfatione ad Nicolaum Wolscium, supremum Regni Mareschalcum. Opusculum rarissimum. Doctissimus autor conscripserat libellum istum iam anno 1572. pro eodem Nicolao Wolscio, qui tunc temporis Capitaneus Krzepicensis erat, ut ad eam studia componeret, fratrique suo sequendum traderet. (a)

XV. Officia propria Patronorum Provinciæ Polonæ, per Reverend: Stanislaum Socolovium Serenissimi olim Stephani, Poloniæ Regis Theologum, Canonicum Cracoviensem, ex mandato synodi Petricovi-

(a) Videat: Præfatio istius libri.

coviensis conscripta, autoritate autem Illustrissimi Cardinalis Georgii Radzivilii, Episcopi Cracoviensis edita. Venetiis apud Iuntas 1629. opusculum rarissimum in 8vo maiori.

Alia editio prodiit Antverpiæ 1611. ex Officina Plantiniana, & ad huc alia Venetiis anno 1701.

XVI. Officia propria SS. Patronorum Regni Sueciæ, ex vetustis Breviariis eiusdem Regni deprompta. Ad instantiam Serenissimi Sigismundi III. Sueciæ & Poloniæ Regis, a sacra Rituum Congregatione, autoritate Apostolica, recognita & approbata, atque omnibus tam in dicto Sueciæ quam etiam Poloniæ Regno habitantibus concessa, ut libere & licite, translatis vel omissis aliis Officiis, quæ eadem die occurrunt recitari possint & valeant. Coloniæ Agrispinæ, sumptibus Cornelii ab Egmondt & sociorum 1644. editio splendida & rara.

XVII. Officium Militare auctore Stanislao Socolovio. Cracoviæ 1589. Cum Dedicatione ad Ioannem Zamoscium, Regni Cancellarium Exercituumque Ducem fortissimum in 12. inter rarissima Socolovii scripta numerandum est.

XVIII. Peregrinus, seu læsæ virtutis quærela a Stanislao Socolovio Anno 1587. conscriptus, nunc demum luci publicæ expositus, cura Christiani Theophili Frisii in 4. 1759.

PEREGRINUS.

MIrari ſatis non poſſumus omnes, qui fiat, quod cum nuper defuncti Regis noſtri tantum ſit ubique nomen, tanta gloria, dignitas tanta, ac ſi unus ex veterum Regum memoria eſſet; cumque apud omnes alios, hoc quod vidimus, ſui deſiderium eamque memoriam reliquiſſet; hic apud vos, nonmodo pleno ore non laudetur, ſed aliqua in eo non unquam deſiderentur, ac a multis aliquando ſub impudentius reprehendatur. Moſchos etiam adeo ipſos, atque alias gentis Veſtræ vel hoſtes vel æmulos, de illo multa præclara prædicare, & quamvis ſibi magno metu liberatis gratulantur, publica tamen orbis Chriſtiani calamitate permoveri, ac magni Principis morte moeſtos eſſe audimus. Turpe autem mihi videtur, vel eodem ſaltim ſenſu & voluntate, erga Regem ſuum cives & ſubiectos, tot præſertim ab eo beneficiis acceptis, non affici; quo hoſtes & æmuli affecti eſſe dicuntur. Cuius quidem rei latentem cauſam aliquam eſſe ſuſpicamur: eamque ex te, ut qui tua; quam nos, qui peregrini ſumus, melius noſti, cognoſcere velemus. Nam ignavum, inertem, deſidem, voluptarium, illum virum fuiſſe, dicere non poſſumus: omnibus denique virtutibus, quæ in bonum Regem cadere poſſunt, prudentiæ, inquam, animi magnitudinis, patientiæ, fortitudi-

nis,

nis, rei militaris peritiæ, doctrinæ item, maximæque rerum usus experientiæ, præditum fuisse, omnis inposterum extincta invidia, confitebitur ætas. Eam igitur, ut dixi, latentem causam ordine certo inquiramus.

Primum igitur, ut ab eo quod summum est ordiamur, scire vellem, qualem se erga Deum immortalem eiusque cultum gesserit. Num sacra religionemque aliqua ex parte violaverit, num templis arisque ac universæ Ecclesiæ aliquid abstulerit, num sacros ac Deo devotos homines aliqua contumelia affecerit, num ea, quæ ipse Deo debebat, non reddiderit, Episcoporum Monasteriorumque bona acciderit ac extenuaverit, Episcopatus ipsos servis contulerit, ac immensis, ut aiunt, pensionibus oneraverit.

CIVIS.

NIhil horum: Nam sacra religionemque studiose coluit: nullum unquam diem, quantum in illo fuit, sive inpace, sive in bello, tam secundis quam adversis suis rebus, domi forisue, intermisit, quin sacræ rei interesset. Idque plerumque nec incommodo suo, ab officio isto, quod semper usurpare solebat cum valeret, abduci potuit; nisi, siquando defectu earum rerum in illis vastis Moschoviticis solitudinibus quæ ad sacra pertinent, impeditus fuisset. Nec corpore tantum, quod plerique

facere solent, præsens aderat; sed tota mente, omne animi intentione, corde perfecto ac contrito, oculis, sæpius lachrymis perfusis, pectorisque crebra percussione. Quoties ille ministros, quoties sacri altaris apparatus, itinerum difficultatibus præpeditos, patientissime, in mediis nonnunquam frigoribus, longa mora expectare solebat.

Publice sacro singulis diebus festis interfuit; adidque pedes nonnunquam adveniebat, nec in maioribus tantum, sed vilibus oppidis etiam ac pagis: sæpe ille milite pugnante, orabat; sæpe adorationem gratiarumque actionem suos provocabat. Doctrinæ autem divinæ mirum est, quam studiosus, quam quietus, quam obediens, quam pius auditor fuit. Vultus compositus, silentium maximum, magisque ipse sua illa plena pietatis facie permovebat doctores ipsos ceterosque omnes, quam ipse ab illis permovebatur. Templis autem ac locis religiosis non modo aliquid non abstulit; sed etiam quædam collapsa restauravit; quædam dotavit, sacrisque vasis instruxit, ac vestimentis propemodum suis contexit. Scholas, Xenodochia in illis regionibus, quas bello cœpit, amplissima instruxit, illisque non mediocres census addixit. Donarium illud proprium maiestatis divinæ, decimas inquam, quas nemo fere in hoc regno, ita ut par est, persolvit, quasque illi, qui maxime debent, ac etiam qui singulis die-

bus

bus omnia altaria circumire ſolent, apud ſe retinent, aliisque eius ſacrilegii auctores ſunt, lege hac de re lata, ex ſuis bonis reddi iuſſit. Sacri autem ordinis homines tanti fecit; ut nullus eſſet, cum quo diutius aut liberius conferret. Sacerdotes ſimiliter domeſticos quantum amaverit, qua cua & ſolicitudine proſequutus ſit, ita, ut de valetudine illorum cum medicis eam ob cauſam coactis ac convocatis, aliquando ipſe conſultaret, omnibus fere notum eſt. Eccleſias autem ipſas earumque præſides quosque, ſuisbonis perfrui paſſus eſt; nulli quicquam abſtulit, nec onus aliquod cuiquam impoſuit.

PEREGRINUS.

IN iure ergo dicendo & cauſis cognoſcendis aliquod vitium inerat?

CIVIS.

NE quaquam: Nam & facilitas audiendi mira, & humanitas expediendi benigna, & prudentia cognoſcendi ſagax, & integritas iudicandi ſumma, & aequitas decernendi incredibilis, illi inerat homini. Itaque ſæpius homini licuit videre utramque partem, quod tam raro in aliis evenit, Regis iudicium collaudasſe: audires hunc æquitatem ſuæ cauſæ exagerantem, alterum ius ſcriptum quod ſequutus ſit iactantem atque ſic ſeveritatem iuſtæ ſen-

tentiæ hac vel illa excuſatione ſe ipſum ſolantem, utramque tamen iudicis decretum approbantem.

PEREGRINUS.

CUm hoſtibus igitur clandeſtina conſilia contulit, Rempublicam prodidit, provincias integras ab alienavit, vel ſuis dedit, vel ſaltem oppignoravit, ærarium exhauſit, æs alienum plurimum reliquit, libertati publicæ inſidiatus eſt.

CIVIS.

NIhil horum ſimiliter: Nam hoſtes ſuperbiſſimos fregit, aliis metum incuſſit: urbes, arces provincias totas amisſas, recuperavit: ſuis nihil, ut videmus, inſigne dedit, vel quod priuato homine dignum esſet, niſi forte Miechovicium Monachatum, quem nepoti ſuo adoleſcenti nobiliſſimo ac florentiſſimo contulerat, & in quem magna pars Europæ oculos ſuos nunc convertit, in ea tam larga in ſuos profuſione numerare quis velit. Pecuniam autem aliquam, etiam tantis bellis geſtis & confectis, tantisque rebus, motibus, ac difficultatibus compoſitis, reliquit. De nimia quidem libertate eiusque vitiis amputandis, ubi quidam cum eo privatim locuti esſent, illud intuliſſe dicitur: *Dii*, inquit *meliora. Ego in Republica libera, liber natus ſum, & quanta*

ta libertatis sit suavitas, non ignoro. Vereri tamen se dixit, ne ob istos animos ingratos, quos ipse experiretur, ac indomitam licentiam quandam, passim veluti pestem quandam, grassari in diesque augeri videat, iusta ac vera Dei sententia aliquis in posterum exoriatur, qui certum modum libertatis invenire velit.

PEREGRINUS.

PRivatorum igitur bona evertit, uxoribus ac liberis eorum per vim ac libidinem abusus est, inter scurras ac lenones sua ac regni bona dissipavit.

CIVIS.

HOc certe ne ab inimico quidem illi obiectum est unquam: ac ipsa quidem fama de illo mentiri erubuit.

PEREGRINUS.

SUis igitur popularibus in omnibus usus est. Vestros ad nulla aut privata aut publica consilia Officiaque admisit.

CIVIS.

MInime gentium. Nam & illi quibus in Republica plurimum usus est, & quos ante ceteros amasse

amasse dicitur, Poloni sunt: & nepotibus suis erudiendis, quos unice diligebat, Polonos præferebat, illudque diligenter cavebat, ne quis peregrinus huic negotio se immisceret: & ipse præter paucos quosdam domesticos & familiares, quos penes se habuit, in omnibus fere nostrorum opera utebatur: eosdem privatæ œconomiæ, venationi, ac omnibns fere aliis rebus, præesse voluit. Indeque factum est, quod vel nullos vel paucos Ungaros hic, illo regnante, aut matrimonia contraxisse, aut domicilium fixisse, videamus.

PEREGRINUS.

INimicitias ergo acerbe persecutus est, inimicos afflixit.

CIVIS.

QUin imo amavit, beneficiis affecit: & quod mirum in illo homine fuit, honestos & ingenuos inimicos plus diligebat atque ornabat, quam turbulentos, fallaces, & ineptos amicos. Quantum ille Gedanenses, quantum Bekesium, hominem sibi a prima adolescentia inimicum, & qui ad se quasi extinguendum videbatur esse natus, quantum alios amabat, quantum illis credidit, notius est, quam ut dici possit, & quam multi voluissent.

PEREGRI-

PEREGRINUS.

IMprobos non coërcuit, bonos tutatus non eſt.

CIVIS.

VOluit equidem magis quam potuit: huc enim redacti ſumus, ut neque morbos, neque remedia morborum perferre poſſimus. Fecit tamen & in hac parte quod potuit, & ubi potuit: plurimum autem ut poſſet, multum elaborauit.

PEREGRINUS.

MOſchumne domuisſe, Scythas coërcuisſe, remotiſſimos hoſtes tenuisſe valuit, ſuos in officio retinere non valuit.

CIVIS.

ITa eſt. Morbi enim externi facilius curantur, quam illi qui viſcerum ſunt: & multum intereſt, num tui, an alieni corporis membra amputes.

PEREGRINUS.

PRivatim credo, aſper & inhumanus; ſuperbus, & quem nemo perferre ac pati potuerit, ad quem item difficillimi ac ſuperbi fuerunt acceſſus: ſubdolus denique ac ſimulator aliquis fuit.

CIVIS.

NEquaquam. Imo privatim, non iam amplius Rex sed amicus: non princeps sed familiaris: & cuius sermonibus, vel propter singularem comitatem affabilitatemque, vel propter dicendi leporem ac venustatem, vel propter præclaram eruditionem, ac maximum rerum usum experientiamque, aliquis satiari non poterit. Verior autem & candidior illius oratio fuit, illa ipsa luce & aura, in qua sæpius quam intra parietes versari ac commorari solebat.

PEREGRINUS.

TEnax ergo & nimium parcus, & qui nihil cuiquam de suo contulerit, Rex erat.

CIVIS.

QUomodo ille parcus & tenax dici potuit, qui emendicatis propemodum stipendiis tot bella gessit, tot hostes perdomuit, tot ædificia magnifica extruxit, tot hominibus stipendia persolvit, qui domesticos tam laute fovit. Quem denique plura inter cives distribuisse dicunt, quam aliquis unquam in hoc regno ex victoribus regibus largitus aut partitus est. Nisi forte solam illam ob causam tenax & parcus dici potest; quod non æque omnes divites ac potentes, ut

ipse

ipſe erat, ſimul (quod divinæ potius quam humanæ opis eſt) efficere potuerit *Hinc illæ lachrymæ, hæc præcipua*, ut puto, *cauſa irarum.*

PEREGRINUS.

DOmeſtci igitur eius ac populares fortasſe incontinentiores ac inſolentiores fuerunt: ſpoliarunt multos, multos pulſarunt, vim intuleruut multis! Fit enim ſæpe, ut Principes ipſi integri ac continentes, ſuorum cauſa male audiant, civibusque ſuis inviſi reddantur, ac quid: quid illi intriuerint, ipſi exedere cogantur.

CIVIS.

NE hoc quidem inter ſuos nepotes ac domeſticos, vel milites numerare posſumus. Nam de nepotibus atque domeſticis, nemo unquam per totum hoc tempus (quæ tamen mira circumſpectio Regis hominumque probitas fuit) conqueſtus eſt, ac ne nunc quidem conqueritur, aut iuſte quisquam conqueri poteſt, Milites autem fuerint, nihil aliud quam milites: quos ubi tandem continentes invenias? Vetus illa quærela eſt. *Nulla fides pietasque viris, qui caſtra ſequuntur.* Illos tamen ipſe quantum potuit coërcere curavit: quorum laboris & operæ in rebus gerendis bellisque conficiendis (ſivera fateri velimus) nos nunquam, quo ad in Moſchovia partarum victori-

arum munimenta exſtabunt, pœnitere poterit: & quibus quoque ipſe lubens caruiſſet, ſi nos ipſi voluiſſemus.

PEREGRINUS.

SI igitur ex his cauſis nulla eſt, cur eum principem non amare potius quam illi detrahere debeatis; plures autem cauſæ ne comminiſci quidem iam poſſunt, quid eſt? Unde iſta averſio ac offenſio animorum veſtorum in eum concitatur? Vnde ſermones iſti? In quo & ſi quid vitii ineſſet (quod cuique ſuum innatum eſt:) tamen illud præſtantiſſimarum virtutum lumen auferre, vel ſaltem obſcurare debuit, bonosque cives in virtutibus potius prædicatione augendis, quam in vitiis ulla orationis acerbitate inſectandis, ob divina & immortalia eius in hanc Rempublicam merita occupatos eſſe oportuit. Niſi forte cuidam ex Athenienſibus ſimiles eſſe velitis, qui ubi cum aliis Ariſtidem, virum optimum, ac de Republica præclare meritum, ob eximiam eius virtutem, pro more gentis ingratæ, relegaturus in comitium veniſſet, ac in ipſum forte, quem non noverat, Ariſtidem incidiſſet, ab eo in teſtula, quam pro more ſuffragiorum in hac cauſa gerebat, nomen Ariſtidis homo ingratus & illiteratus ſcribi petiit. Quid fecit, quid commeruit, & num aliqua inſigni iniuria affectus ſit, quærit cum admiratione Ariſtides: Nihil

horum

horum, reſpondit ille, imo nec hominem quidem novi.

Cur igitur eum, quem non noſti, condemnas, infert Ariſtides. Quia hoc, inquit, unum me male habet, quod ab omnibus iuſtus ubique prædicetur, idemque alios Athenienſes velle ac facere video. Scripſit Ariſtides illique reddidit, ac lætus tali iudice ac ſententia diſceſſit. Sic vos Stephanum Regem, quem veſtrum aliqui ne de facie quidem noveratis, tantum abeſt, ut aliquid de vobis male meritus ſit, popularis auræ captandæ cauſa, & ut in cauſa peſſima diſerti Oratores videamini, iniquiſſime traducere cum Veſtra magna apud omnes bonos infamia, non erubeſcitis. Quarum quidem caluminiarum, ſi quis cauſam ex vobis velit cognoſcere, non plura profecto, reſpondere poſſetis, quam is ipſe Ariſtidis inſectator reſpondit.

C I V I S.

VEra ſunt quæ dicis: adde tamen & illud, *Virtutem nos incolumem odiſſe: ſublatam ex oculis quærere invidos: ac tum denique noſtra nos intelligere bona, cum quæ in poteſtate habuimus, ea nos amiſiſſe cernimus.* Quod tamen tam cito nondum ipſi experiri potuimus. Nec enim tam facile curſus ille Reipublicæ, quem Magnus ille Rex conſtituerat, aut impediri, aut extingui potuit: & vulnerum recentium

non ita acerbus est sensus. Oderunt denique hilarem tristes, tristemque iocosi.

PEREGRINUS.

QUid tu in re seria rides! Miseria exhilarata hæc est, risusque vobis nimis usitatus: qui utinam sit diuturnus, & non sit plane risus Sardonius. Vereri enim oportet, ne hi risus, quos ista Vestra sapientia excitat, magnas secum lachrimas ferant: neque adeo læta huius interregni vestri initia video, ut nimis ridere debeatis. Sed vos carendo potius quam fruendo, aliquando, quid habueritis & amiseritis, intelligetis. Atqui ego serio dico, *ingrati animi pessimum vitium esse, nec unquam divinam ultionem effugere.* Hoc item a doctissimis viris audivi; *qui virtutem laudat, Deum laudare, qui virtuti detrahit, Deo, qui est prima & summa virtus, omnisque virtutis principium & origo, detrahere.* Neque enim credendum est, illas ipsas tot præstantissimas virtutes, quibus ille præditus fuit, a seipso illum habuisse; & non potius ab omnis boni fonte & largitote Deo. Qui igitur hæc contemnit & elevat, hic Dei dotes & ornamenta contemnere & elevare videtur.

Non enim te (inquit Dominus ad Semuelem) abiecerunt, sed me; simulque præsentem vindictam subiungit: Verumtamen contestare illos, iusque illis Regis enarra. Hoc erit ius Regis. Filios vestros tollet,

tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & percussores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum.

Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias & focarias & pannificas; agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis: sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis suis: servos etiam vestros, & ancillas, & iuvenes optimos, & asinos, & vaccas, auferet & ponet in opere suo.

Greges quoque addecimabit, vosque eritis ei servi, & clamabitis in die illa a facie Regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem. Et hoc quidem ius Regis est, & vera ac iusta Dei contra ingratos sententia: quam vos quidem nondum experti estis.

Nam hi ipsi Reges, quos adhuc habuistis, parentes potius ac ministri vestri, quam Reges fuerunt: præcipue autem hic Stephanus vester, quem vos paucis post annis, nec quicquam multis votis desiderabitis.

Eius quidem virtus oppugnari potest, expugnari non poterit unquam: nec ita ab oculis vestris aboleri facile poterunt ea, quæ tot monimentis ad sempiternam memoriam consignata sunt.

Verum nox adest, portæ clauduntur, hospes expectat

pectat

pectat, hæc pauca tamen, non quidem ex Apollinis tripode, ſed ex mero & ſimplici ſenſu profecta, prius quam abeo, addo: Qua fide & integritate præteritorum Regum merita accipitis, eandem ſinceritatem & benevolentiam a ſubſequentibus expectabitis: & ſi veſtros perferre non poteſtis alienos ſufferratis oportet: & impoſſibile eſſe ſingulorum affectibus & Reipublicæ ſimul ſatisfieri. Ad extremum, quod quisque intrivit, ipſi exedendum eſſe. Ego currum conſcendo, tu vale.

C I V I S.

TU vero appage, qui in aliena Republica, quod peregrinum non decet, nimis volueris eſſe curioſus.

ELOGIUM MAGNI STEPHANI POLONIÆ REGIS.

AVTORE STANISLAO SOCOLOVIO:

In templo, plus quam ſacerdos.
In Republica, plus quam Rex.
In ſententia dicenda, plus quam Senator.
In Iudicio plus quam iuris conſultus.
In exercitu plus quam Imperator.
In acie plus quam miles.

In ad-

In adversis perferendis, iniuriisque condonandis plus quam vir.
In publica libertate tuenda plus quam civis.
In amicitia colenda, plus quam amicus.
In convictu, plus quam familiaris.
In venatione ferisque domandis, plus quam leo.
In tota reliqua vita, plus quam Philosophus.

EPITAPHIUM.

Pro exequiis funebribus, Stephani I. Regis Poloniæ, Leopoli in Russia habitis, a IOANNE DE ZAMOSCIO, Cancellario & summo Duce exercituum regni conscriptum.

STEPHANUS MAGNUS REX POLONIÆ MAGNUSQUE DUX LITHUANIÆ, PRINCEPS TRANSYLVANIÆ, VICTOR, TRIUMPHATOR, PATER PATRIÆ, STEPHANO PALATINO, CATHARINAQUE TELEGDIA NATUS; ANNO MDXXXIII. V. CAL: OCTOBRIS: VIXIT MDLXXXVI. IDIBUS DECEMBRIS: REGNAVIT ANNOS DECEM MENSES VII. DIES XII.

Iudicia constituit: Livoniam, Polociamque provincias recepit; Fines Lithuaniæ latissimo Vielissiensi agro adiecto protulit. Perterritis Mechmete primum ac deinde Aschlan Hereis, Tartarorum Chanis: Podoliam pacatiorem cultioremque reddidit: Amuratem Turcarum Imperatorem, ut Tartaro pacem legatione missa peteret, et Ben-

deria a Koſakis deleta nil moveret, novaque Caſtella finibus imponi pateretur, opinione virtutis permouit continuitque, ſtipendium maius, Transyl: imperium in eunti Sigism. fratris impuberi imponere molientem, deterruit. Iancul am Valachiæ Regulum ob iniurias, quas vicinæ nobilitati intulerat, deiicere adegit. Theſauroſque, qui cum ipſo Valacho in poteſtatem ſuam venerant, repetentem ſprevit. Omnium regum principum ac populorum Nationumque cum ora in ſe convertiſſet, Maiora pro Republica & re Chriſtiana animo agitans, Ac in primis Moſchoviam Poloniæ Lituaniæque aggregare ſtudens, ſexta die ſubito extinctus eſt. O mors invida, non extinxti virtutem Batoream, immortalis eſt. Stephano Poloniæ Regi, Victori, Triumphatori, pio Patri Patriæ: Ioannes de Zamoſcio Cancellarius & ſummus Dux exercituum regni, pro vita, quam ſaluti gloriæque eius omnibus bellis periculisque devoverat, Deo, non ſe, ita volente, ſuperſtes has lachrimas cum GRISOLIDE Batorea, uxore ſua, Regi Patrono adfinique ſuo reddit. Viveres Stephane maxime viveres, nec Polonia, Vngariaque ac nomen Chriſtianum lugeret, nec improbi barbari gauderent, Sed vivit Deus, haud ſolido exultabunt gaudio.

MILITES POLONI

Devoti nomini meritisque erga Rempublicam Stephani Magni Poloniæ regis invicti, patrisque

trisque patriæ pientissimi Te superstite pro salute gloriaque tua sangvini non pepercimus, Nunc quid aliud quam lachrymas miserabiliter fundere possumus! Quo Duce patriæ fines proferemus? quo vel Barbaros a ceruicibus reiiciemus, Stephane, terror hostium, quam subito quoque modo te amisimus. O nimis atros Polonis nominique Christiano idus Decembris!

IMPRIMATUR.

FELIX TURSKI Officialis Generalis Varsaviensis.